IVL. PACII
ARTIS LVLLIANÆ EMENDATÆ
LIBRI IV:

Quibus docetur methodus, per quam magna terminorum generalium, attributorum, propositionum argumentorúmque copia, ad inueniendum ſermonem de quacunque re, amplificandam orationem, inueniendas quæſtiones, eaſdémque diſſoluendas, ſuppetat.



COLONIÆ ALLOBROGVM,
APVD PETRVM DE LA ROVIERE.
CIↃ. IↃC XVIII.

IVL. PACIVS ITHIERIO HOBIERIO, CHRISTIANISSIMI Regis Consiliario, & à secretis, triremium & maris Orientalis Quæstori generali S. D.

SI quis in hunc libellum de arte Lulliana incidens miretur me in legibus euoluendis, & enarrandis, vsuiq. aptandis sine intermissione occupatum, aliquid de hac arte posse cogitare, ne dum scribere, quæ prælo subiiciantur : is mi-

rari, vt par est, omnino desinet, si sciat me hoc tempore vix tumultuariam lectionem huic opusculo adhibuisse: quod ante annos quinque & quadraginta summo otio fruẽs, audaxq. iuuenta, vt ait poeta mente concepi; annis verò abhinc paulò plusquã viginti domesticorũ precibus indulgens, literis mandaui, nunc te hortante, cui nihil denegare possum, ex mei musei latebris in lucem exire patior. Quamobrem, si qua ex hoc qualicumque meo labore vtilitas ad lectorem (vt spero) perueniet, eam tibi potiùs quàm mihi debet iure optimo acceptam ferre. Ego namque (vt verum fateor) nõ maiori honore hanc commentationem dignabar, quàm enarrationem

tionem Lulliani contextus, animaduersiones in Rami dialecticam, & alias eiusdem farinæ lusiones, quibus à grauioribus studiis defatigatus ita me oblectaui, vt alij vel iucunda deambulatione, vel inerti alea, vel simili quapiam ratione laboratis ingenij vires reficere solent. Iuris & philosophiæ studia vsque ad annum ætatis meæ trigesimum sextum mihi ἔργα, cetera πάρεργα fuêre, ab eo tempore solum Ius mihi fuit negotium, cetera otium. Ergo horis otio dicatis, quo affectu historicos, poetas, & oratores lego, Lullianæ arti opellam nauaui. Licet enim nobis, (vt opinor) ad hæc aliquando diuertere,

Qui Musas colimus seueriores.

Sed nescio, an idem mihi continget, quod aliis quibusdam scriptoribus euenit; quorum opera quò minori cura sunt conscripta, eò sunt legentibus gratiora. Sanè tuum iudicium plurimi (vt debeo) facio, qui hunc nostrum qualemcumq; fœtum adeo non contemnẽdum duxisti, vt etiam Gallica veste, ne Romana toga indutus, nostris hominibus minùs gratus esset, exornare non sis grauatus. Tu namque non, vt plerique, aut à Musis abhorrens, rebus agẽdis te addicis; aut ab omni actione abstinens, tibi soli studes: sed summa cum laude vtramque viuendi rationem coniũgis: & cùm de aliis bene merendo, tum diuinam animi partem excolendo,

quasi

quaſi binis alis ad honoris & gloriæ faſtigium tendis. Hunc igitur libellum ad te venientem, vel potiùs redeuntem excipe, quaſi alter parens, hilari vultu: méque tui ſtudioſiſſimum tua beneuolentia, qua nihil iucundius mihi poteſt accidere, proſequi perge. Vale. Valentiæ Cauarum, idibus Auguſti, 1617.

INDEX CAPITVM.

LIB. I. Qui de Alphabeto inscribitur.

CAP. I. De arte Lulliana & eius partibus. pag. 3.
II. De Alphabeto. 6.
III. De prima columna alphabeti. 9.
IV. De secunda columna alphabeti. 19.
V. De tertia columna alphabeti. 27

LIB. II. Qui est de Figuris.

CAP. I. De Figuris. 32.
II. De prima Figura. 33.
III. De secunda Figura. 36.

LIB. III. Qui est de vsu & vtilitate huius artis.

CAP. I. De vtilitate alphabeti. 41.
II. De vtilitate primæ Figuræ. 44.
III. De vtilitate secundæ Figuræ. 48.
IV. De vtilitate totius artis. 54.

LIB. IV. Qui est de ratione emendationum.

I. Notæ in primam artis Lullianæ partem, quæ de alphabeto. pag. 66
II. In secundam partem, quæ de Figuris. 68.
III. In tertiam partem quæ de definitionibus. 70.
IV. In quartam partem quæ de regulis. 70
V. In quintam partem, quæ de tabula. 71.
VI. In sextam partem de euacuatione tertiæ figuræ. 71.
VII. In septimam partem do multiplicatione quartæ Figuræ. 72.
VIII. In octauam partem de mixtione principiorum & regularum. 73.
IX. In nonam partem de nouem subiectis. 74.
X. In decimam partem de applicatione. 74.
XI. In vndecimam partem de quæstionibus. 77.
XII. In duodecimam partem de habituatione. 77.
XIII. In decimam tertiam partem de modo docendi hanc artem. 79.

IVL. PACII
ARTIS LVLLIANAE EMENDATÆ

LIBER I.

Qui inscribitur De alphabeto.

PRÆFATIO.

SCRIPSI *ante viginti annos successiuis horis breuem & perspicuum commentarium in artem paruam Raymundi Lulli: quem qui exceperunt, familiares quidam mei perfectam huius artis cognitionem visi sunt assequi, ac nihil sibi*

incognitum superfuisse iudicarunt. Eodem tempore, quò magis eis prodessem, eandem artem, libertate vtens philosophica, emendaui, eiusq; exornatæ, & à multis vitiis liberatæ, præcepta in libellum contuli. Quod enim vulgò dici solet, nihil simul inuentum & perfectum, maximè in hac arte, ni fallor, obtinet. Fuit enim Lullius magno ingenio præditus, &, vt illa tempora ferebant, egregiè doctus: sed vel artis obscurandæ gratiâ, quò maiorem sui admirationem excitaret, vel quia vt elegantiæ, ita etiam methodi expers omninò fuit, artem suam ita inuoluit & perturbauit, vt difficillimam multorum iudicio reddiderit. Eos igitur errores breuiter notaui, ac dedi operam, vt artē correctam recta methodo traderem, non vt de Lullij auctoritate quicquam detraherem, (absit enim à meis moribus hæc labes) sed vt verus huius artis vsus omnibus pateret, ac facilè disci posset. Quòd me consecutum omnes dicturos confido, qui solius veritatis rationem habentes hoc opusculum perlegere

gere non grauabuntur.

CAP. I.

De arte Lulliana, & eius partibus.

1. SCopus huius operis eſt docere methodum, per quam magna attributorum, propoſitionum, quæſtionum, & argumentationum copia nobis ſuppetat.

2. Hæc igitur ars perquàm ſimilis eſt dialecticæ, quam Ariſtoteles tradit in Topicis, ſed non coanguſtatur ad quatuor illa problematum genera, ad quæ refertur tota Ariſtotelis dialectica, id eſt, ad problema definitionis, proprij, generis, & accidentis. Præterea non adhibet eoſdem locos. nam Ariſtoteles proponit axiomata ſumpta à genere, à ſpecie, à coniugatis, & aliis ſimilibus locis. Raymundus ve-

rò in hac arte proponit alios locos, videlicet bonitatem, magnitudinem, durationem, & ceteros mox exponendos.

3. Differt etiam hæc ars ab inuentione, ſeu ratione inueniendi, quam Ariſtoteles proponit lib. 1. Prior. Analytic. quoniam ibi Ariſtoteles reſpicit ſolùm ad inuentionem ſyllogiſmorum, & omnia refert ad tres locos generales, id eſt, ad antecedentia, conſequentia, & repugnantia, qui ſunt termini (vt in ſcholis loquuntur) ſecundæ intentionis: hæc autem ars non tantùm docet inuentionem ſyllogiſmorum, ſed etiam aliarum orationum, & encomiorum, & accuſationum, & omninò cuiuſuis generis attributorum: & adhibet alios locos nempe bonitatem, magnitudinem &c. vt paulò antè notaui.

4. Tandem hæc ars differt à rhetorica

rica. I. Quia rhetorica verſatur in tribus cauſarum generibus, demonſtratiuo, deliberatiuo & iudiciali: hæc autem ars nulli generi eſt adſtricta: ſed æquè pertinet ad quoduis ens. II. Quia rhetorica non ſolùm tradit inuentionem, ſed etiam diſpoſitionem, & elocutionem, & (vt multi volunt) tradit etiam præcepta de memoria, & pronunciatione: hęc autem ars vnum habet ſcopum, inuentionem: ideóque vocatur ars inuentiua: quamquam ex ea colligi poteſt etiam diſpoſitio quædam, vt lib. 3. oſtendam.

5. Huius artis partes duæ ſunt: prior de terminis ſimplicibus, quæ vocantur principia: híſque adiunguntur quæſtiones generales: poſterior de mixtione illorum principiorum, per quam mixtionem fiunt propoſitiones, & ſyllogiſmi. Prior pars inſcribitur de alphabeto: quia quodlibet ex

illis ſimplicibus vocabulis, breuitatis cauſa, ſignificatur vnâ literâ alphabeti. Poſterior pars inſcribitur de figuris: quoniam mixtiones principiorum in hac arte figuris, id eſt, diagrammatis quibuſdam continentur. Primò igitur declarabo alphabetum, id eſt, principia, & quæſtiones. Secundò exponam figuras, id eſt, mixtiones principiorum. Tertiò tradam praxim, & vſum huius artis.

Poſtremò rationem afferam eorum, quæ in hac arte nouaui, vt eam à ſuperfluitate, & obſcuritate vindicarem.

Cap. II.

De alphabeto.

1. QVò faciliùs hæc ars percipiatur, delineandum eſt diagramma, quod terminos huius artis comprehendat,

hendat, & vno intuitu oculis ſubii-
ciat.

	1	2	3	
b	bonitas	differentia	vtrum	1
c	magnitudo	concordantia	quid	2
d	duratio	contrarietas	vnde & cuius	3
e	poteſtas	principium	quare	4
f	ſapientia	medium	quantum	5
g	appetitus	finis	quale	6
h	virtus	maioritas	quando	7
i	veritas	æqualitas	vbi	8
k	gloria	minoritas	quomodo	9

2. Hoc diagramma conſtat tribu
columnis, quarum columnarũ qua
libet continet nouem cellulas, & nc
uem vocabula. Prima columna coı

tinet principia abſoluta: altera columna principia relata: tertia quæſtiones.

3. E regione ſingularum cellularum, & ſingulorum vocabulorum in ſiniſtro latere ſcriptæ ſunt nouem literæ B C D, &c. quia in progreſſu operis loco vocabulorum breuitatis ſtudio ſæpe his literis vtemur: quælibet autem litera ſignificat ea vocabula, quæ è regione ipſius ſcripta ſunt. vt B. ſignificat bonitatem, differentiam, & quæſtionem vtrùm: C, magnitudinem indicat, concordantiam, & quæſtionem quid. In dextro latere continentur ſifræ, declarantes numerum cellularum, & terminorum, qui in ſingulis cuiuſque columnæ cellulis continentur: quemadmodum ſifræ ſupra columnas inſcriptæ, numerum columnarum demonſtrant.

4. Omittitur litera A quoniam in alium vſum infra à Raymundo adhibetur

betur in figura prima.

CAP. III.

De prima columna alphabeti.

1. TErmini huius columnæ ſunt maximè generales, & (vt cum ſcholaſticis loquar) tranſcendentes. Exempli causâ, magnitudo hîc non eſt ſpecies contenta in categoria quãtitatis, ſed latiùs accipitur: etenim Deus quoque dicitur magnus, & virtus magna, & eſſentia magna.

2. In qualibet cellula non ſolùm intelligere oportet id, quod verbo expreſſum eſt, ſed etiam coniugata, ſpecies, & contraria: vt ex ſequentibus apparebit.

3. Bonitas eſt id, ratione, cuius res eſt bona, & bene agit.

Bonitatis coniugata ſecundum Raymundum ſunt, bonum, bonifica-

tiuum, bonificans, bonificabile, bonificatū, & bonificare, ſeu bonificatio. Bonum eſt in quo bonitas ineſt. Bonificatiuum eſt, quod habet vim efficiendi rem bonam. Bonificans eſt, quod actu rem bonam facit. Bonificabile eſt, quod poteſt bonum fieri. Bonificatum eſt, quod factum eſt, vel fit bonum. Bonificare eſt rem bonam reddere. Bonificatio eſt actio, per quā res fit bona.

Hæc coniugata ita inter ſe referuntur, vt quędam extremorum, quędam medij rationem obtineant. Extrema duo ſunt: agens, & patiens: Agens, ſi ſumatur poteſtate, dicitur bonificatiuum. idem actu ſumptum, vocatur bonificans. Similiter patiens poteſtate acceptum, appellatur bonificabile: & actu ſumptum, diciturbonificatum. Medium verò conſideratur vel per ſè, vel in relatione ad extrema.

trema. Per ſe, in abſtracto nominatur bonitas: in concreto, bonum. In relatione verò dicitur bonificare, vel bonificatio. Similis eſt coniugatorum expoſitio in principiis ſequentibus, id eſt, magnitudine, duratione, & ceteris.

Species boni ſunt, I. Bonum permanens, vt eſſe: & bonum fluens, vt agere. II. Honeſtum, vtile, & iucundum.

His omnibus adiungantur contraria: vt bono malum, honeſto turpe, iucundo moleſtum, vtili damnoſum.

4 Hoc loco occurrit dubitatio: quia ſuprà dictum fuit hęc primæ columnæ principia eſſe abſoluta: nuper autem multa in relatione poſita recenſuimus, vt bonificans, & bonificatum. Pro ſolutione notandum eſt, Raymundo placere, vt columnæ ſe inuicem iuuent: vnde fit, vt bonifica-

tiuum, bonificans, & cetera eiusmodi vocabula referantur ad bonitatem meritò concordantiæ, quod est secundum principium secundæ columnæ, item malum & malitia referantur ad bonitatem merito contrarietatis, quod est principium tertium secundæ columnæ.

5. Magnitudo est id, ratione cuius res est magna, & valdè agit.

Magnitudinis coniugata sunt, magnum, magnificans, magnificatiuum, magnificatum, magnificabile, & magnificatio seu magnificare: quorum omnium definitiones ex iis, quas suprà attuli, facilè quiuis supplere potest.

Species magnitudinis sunt, I. Finitas, vel infinitas. II. Longitudo, latitudo, altitudo, & multitudo. Adde horum coniugata: vt finitum; infinitum; longum, latum, altum, multum.

Item

Item producens, dilatans, multiplicans: & productum, dilatatum, multiplicatum: & eiusmodi alia.

Contraria magnitudini sunt, vt paruitas, breuitas, angustia: & horum coniugata, paruum, breue angustum: item coangustans, coangustatum, & eiusmodi alia.

6. Duratio est id, ratione cuius res durat & permanet.

Durationis coniugata sunt, vt durans, durabile &c. Species duæ sunt, æternitas, & temporalitas; siue æternum, & temporale. Æterni species sunt, antiquum vel longæuum, (quãquàm æternum à longæuo Gellius distinguit lib. 2. cap. 16.) & firmum, cõstans, perseuerans. Contraria sunt, vt mutatio, priuatio, inconstantia, dissolutio, oblutio, & similia, cum suis cõiugatis; qualia sunt, mutans, mutatũ, mutabile, priuans, priuatum, &c.

7. Poteſtas eſt id, ratione cuius res poteſt eſſe, & agere. Coniugata ſunt, vt potens, poſſibile, poſſe. Species ſunt duæ; omnipotentia, quæ eſt in ſolo Deo: & ſimplex potentia quam Raymundus vocat magnipotentiam, nẽpe quæ eſt in creaturis. Rurſus poteſtatis ſpecies ſunt, robur, dominium, auctoritas, iuriſdictio, imperium, & cetera. Contraria ſunt, vt impotentia, imbecillitas, impoſſibilitas: & horum coniugata, impotens, imbecillum, impoſſibile.

8. Sapientia eſt id, ratione cuius aliquis eſt ſapiens, & ſapienter agit. Coniugata ſapientiæ ſunt, vt ſapiens, ſapere, ſapientificans, ſapiẽtificatum, &c. Species ſunt, vt ſcientia, intelligentia, prudentia, ars, prophetia, conſcientia, &c. Adde horum coniugata: qualia ſunt, ſciens, intelligens, prudẽs, artifex, artificioſum, propheta, conſcius,

ſcius, &c. Contraria ſunt, vt inſcitia, imprudentia, error: & horum coniugata, vt ignorans vel inſcium, imprudens, errans.

9. Appetitus, quem Raymundus vocat voluntatem, eſt id, ratione cuius res eſt deſiderabilis, & deſideratur. Coniugata ſunt, vt appetens, appetibile, appetitio, &c. Species tres ſunt, inſtinctus, cupiditas, & voluntas. Inſtinctus eſt in rebus inanimatis, vt naturali inſtinctu ignis ſurſum, terra deorſum tendunt. Cupiditas eſt in ſenſu ſeu facultate animæ ſenſitiua, & vulgò in ſcholis appellatur concupiſcentia. Voluntas eſt in facultate intellectiua. Contraria ſunt; vt odium, maleuolentia, faſtidium, odioſum, maleuolum, odiſſe, abhorrere, & alia multa.

10. Virtus eſt id, quod rem vnit, & continet. Aliter accipitur virtus in E-

eſt animal. Similiter falſitas eſt vel in re, vt Chimæra, hypocentaurus: vel in intellectu, veluti ſi mente concipiamus hominem eſſe quadrupedem: vel in ſermone, vt in his orationibus, *homo eſt lapis, homo non eſt animal.* II. In veritatem neceſſariam, vt Deum eſſe, cœlum moueri: & contingentem, vt Socratem ambulare, vel ſedere. III. In ſimplicem & coniunctam. Simplex eſt, quæ in re ſimplici cernitur: vt equi conceptus in animo noſtro verus eſt; quia equius eſt: Chimeræ autem conceptus eſt falſus: quia Chimęra non eſt. Coniuncta veritas eſt, quę in affirmatione, vel negatione ſpectatur, vt homo eſt animal, homo non eſt lapis. Contraria veritati ſunt, falſitas, falſum, falſificans, falſificatum, &cet.

12. Gloria eſt ſumma & vltima rei perfectio, in cuius oblectatione res

quieſcit; quia non poteſt aliquid am-pliùs expetere, cuiuſmodi gloria tri-buetur ſanctis in altero ſeculo. Con-iugata ſunt, gloriosũm, glorificans, glorificatum, &c. Species duæ ſunt, decus, & honor. Decus rei competit, quatenus eſt talis: honor autem re-ſpectu aliorum, quatenus iis videtur talis, à quibus honoratur. Maieſtas eſt eximium decus, vt in Deo, & Rege. Cultus verò eſt honor quidam exi-mius; qualis eſt, qui Deo tribuitur. Contraria ſunt, vt dedecus, infamia, ignominia, infame, ignominioſum, &c. Hucuſque de prima columna, quæ continet principia, abſoluta, & quodammodò, vt expoſui, quædam relata; nempe quæ abſolutis illis con-gruunt, vel repugnant.

CAP.

CAP. IV.

De secunda columna alphabeti.

1. INter primam & secundam columnam tres sunt differentiæ. I. In illa sunt termini absoluti, in hac relati. II. In quolibet principio primæ columnæ tacitè continetur contrarium, vt sub bono malum, sub magno paruum: quod in secunda columna non habet locum: quia in hac termini contrarij separatim sunt collocati; vt concordantia, & contrarietas, vt maioritas, & minoritas. III. Quodlibet principium primæ columnæ est maximè generale, & cuiuis rei tribuitur: in secunda verò columna hæc maxima generalitas non cōuenit vni principio, sed tribus simul iunctis: hæc enim columna constat tribus ternariis quos Raymundus vocat triangulos.

Nam quælibet res vel differt, vel concordat, vel est contraria. Rursus vel est in principio, vel in medio, vel in fine. Deniq; vel est maior, vel æqualis, vel minor.

2. Differentia est, per quam res differunt, ac distinguuntur. Coniugata sunt, vt differens, differre, &c. Species plures sunt. I. Vel est differentia essentialis, vt inter hominem & brutum: vel accidentalis, vt inter Socratem & Platonem. II. Vel est separabilis, vt inter sedentem & ambulantem: vel inseparabilis, vt inter hominem & plantam. III. Vel est inter res sensibiles, vt inter lapidem & plãtam: vel inter res intelligibiles, vt inter Deum & angelum: vel inter rem sensibilem, & rem intelligibilem, vt inter hominem & angelum. Notandum est, ea dici differre, quæ non sunt inter se contraria; ne hoc principium cum

cum tertio confundatur. Exempli causa, homo & lapis dicuntur res differentes: album verò & nigrum dicuntur res contrariæ.

3. Concordantia est, ratione cuius res sunt inter se concordes. Coniugata sunt, vt concors, concordare, concordatum, &c. Diuisio est duplex. I. Res concordant vel in vno, vt affirmatio & negatio in eo quòd vtraque est enunciatio: vel in pluribus, vt aqua & terra tam in frigore quàm in grauitate conueniunt. II. Concordantia est, vel inter res sensibiles, vt inter aquam & terram: vel inter res intelligibiles, vt inter Deum & angelũ: vel inter sensibilem, & rem intelligibilem, vt inter hominem & angelum.

4. Contrarietas est quorumdam mutua resistentia propter diuersos fines, vt inter graue & leue: quia hoc tendit sursum, illud verò tendit deor-

ſum. Coniugata ſunt, contrarium, contrariari, &c. Adde vocabula æquiualentia, vt repugnantiam, repugnãs, repugnare. Quod ad diuiſionem attinet, I. Contrariorum alia ſunt immediata, vt in numero par & impar: alia mediata, vt in corpore album & nigrum; quibus rubeum, viride, & alij colores ſunt interiecti. II. Contrarietas eſt vel inter res ſenſibiles, vt inter album & nigrum: vel inter res intelligibiles, vt inter ſcientiam & ignorantiam, inter angelum & cacodæmonem: vel inter rem ſenſibilem & rem intelligibilem, vt inter hominem & cacodæmonem.

5. Principium eſt, in quo rei primitiua ratio conſiſtit: vt Deus eſt omnium rerum principium: & ſemen, aut cor eſt principium animalis. Cõiugata ſunt, vt principians, principiatum, &c. Principium diuiditur in eſ-
ſentiale

ſentiale & accidentale. Eſſentialia principia ſunt quatuor cauſæ; efficiẽs, materia, forma, & finis. Materia eſt cauſa, ex qua. Forma eſt cauſa, per quam. Efficiens eſt cauſa, à qua. Finis eſt cauſa, propter quam, ſeu cuius gratia. Materia etiam vocatur ſubiectum: & eſt triplex: I. Ex quo, vt æs, vel argentum eſt materia & ſubiectum, ex quo fit ſtatua. II. In quo: vt ſubſtantia eſt ſubiectum, in quo inſunt accidentia; & materia eſt ſubiectum, in quo eſt forma.

III. Circa quod: vt corpus naturale eſt ſubiectum phyſicę, circa quod phyſica verſatur. Efficiens diuiditur in principale & inſtrumentale, vt cum faber lignarius ſecat lignum, faber eſt efficiens principale, ſera eſt inſtrumentum. Rurſus omne efficiens aut agit per motum, vt faber efficit arcam, ædificator domum: vel ſine mo-

tu, vt rei forma efficit proprietates inde fluentes, & ſol lucem producit. Accidentaria principia ſunt nouem categoriæ accidentium, id eſt, quantitas, qualitas, relatio, ſitum eſſe, habere, agere, pati, quando, & vbi. Præter hãc principiorum diſtinctionem, alia ab Ariſtotele affertur lib. 4. Metaphyſic. (qui Latinis eſt quintus) cap. 1.

6. Medium eſt, quod eſt principio & fini interiectum, & vtriúſque naturã redolet: nam dici poteſt antecedentium finis, & ſequentium principium. Coniugata ſunt, medians, mediatum, &c. Tres ſunt medij ſpecies. I. Medium coniunctionis, quod extrema inter ſe connectit, vt clauus coniungit duos aſſeres, & medius terminus in ſyllogiſmo connectit maius extremum cum minori. II. Medium relationis, vt dilectio eſt mediũ inter diligentem & dilectum, & om ninò

ninò omnis relatio est media inter duo relata. III. Medium extremitatum, vt liberalitas est medium inter profusionem & auaritiam, & rubeum aut viride est medium inter album & nigrum.

7. Finis est, in quo aliquid terminatur & quiescit. Coniugata sunt, vt finiens, finitum, &c. Species sunt tres: I. Finis perfectionis: vt beatitudo est finis vitæ humanæ. II. Finis terminationis seu terminus: vt locus ad quem res mouetur, est finis illius motus. III. Finis priuationis, vt mors est finis vitæ.

8. Maioritas est id, ratione cuius res dicitur maior. Coniugata sunt, maius, maiorificans, maiorificatum, &c.

9. Minoritas est, per quam res dicitur minor. Coniugata sunt, minus, minorificans, minorificatum, &c.

10. Æqualitas est id, ratione cuius

res dicitur æqualis: vel, æqualitas eſt id,quod maioritati & minoritati eſt interiectum, in quo concordantia quieſcit:nam ſi quid addatur, vel detrahatur,non manebit res ęqualis,ſed fiet maior,vel minor. Cõiugata ſunt, vt æquale,adęquans,adęquatum, &c.

11. Hæc tria poſtrema principia, id eſt,maioritas,æqualitas,& minoritas, ſpectantur vel inter duas ſubſtantias; vt ſubſtantia cœli eſt maior,quàm aëris,vel ignis; & ſubſtantia Socratis ac ſubſtantia Platonis ſunt æquales:vel inter ſubſtantiam & accidens; vt extenſio quantitatis eſt æqualis ſuæ ſubſtantiæ,ſed eſſentialiter ſubſtantia eſt maior quantitate,& quouis alio accidente: vel inter duo accidentia,veluti, non legere, & negligere, æqualia ſunt: legere autem eſt maius quiddã quam ludere:& intelligere eſt maius, quàm ſentire.

Cap.

Cap. V.

De tertia columna alphabeti.

1. HÆc columna varias quęstiones continet. Prima quæstio est vtrùm: quæ quidem est multiplex. I. Vel est quæstio simplex, veluti an sint antipodes, an sint cētauri, an sit Phœnix, an sit chimęra: vel composita, veluti an Luna sit maior terra, an omnes Æthiopes sint nigri, vtrùm motus sit in mouente, an in mobili. II. Vel est quæstio de esse, vel de fieri: & vtraque est tripertita, pro temporis diuisione: veluti an fuerit bellum Troianum: an mundus factus sit: an Turcę eandem, quam Persæ, religionem colant: an Turca bellum gerat cum Persis: an pax erit inter Germanos & Turcas: an sol hoc anno deficiet. III. Aut quæritur, an sit, vel fiat, secundum diuersa tempo-

tempora; veluti an Æthiops ſit niger; an India orientalis veteribus fuit cognita: aut vtrùm ſit poſſibile, an impoſſibile; veluti an puer decēnis poſſit callere artem Lullianam: aut vtrùm ſit neceſſarium, an contingens; veluti an fuerit neceſſe, vt Filius Dei carnem humanam aſſumeret.

2. Secunda quæſtio eſt quid: quæ ſimiliter diuiditur multis modis. I. Aut eſt ſimplex quæſtio; veluti quid eſt bonitas? quid eſt benè mereri? aut compoſita, veluti quid eſt bonitas magna? quid eſt benè mereri de patria? II. Vel quæritur quid vocabulum ſignificet; veluti quid ſignificat eclipſis? defectionem luminis. vel quid res ſit, veluti quid eſt homo? animal rationale mortale. vel quid res habeat; veluti quid habet in ſe intellectus? ſpecies intelligibiles. quid habet ſenſus? Species ſenſibiles. vel quid

agat;

agat; veluti quid facit anima humana separata à corpore? contemplatur. vel quid patiatur; veluti quid patitur aqua ab igni? calefit, & euaporatur.

3. Tertia quæstio est bipertita. Prior quæstio est de origine: veluti, vnde est peccatum originale? ex peccato primi parentis. Vnde sunt orti Heraclidæ? ab Hercule. Posterior quæstio est de possessione, vel simili relatione: veluti, cuius est liber? Socratis. vel, cuius est filius? Sophronisci. vel, cuius est amicus? Platonis.

4. Quarta quæstio est de causis. quarè mundus est? quia Deus eum creauit: hæc est causa efficiens. quare homo ex turri demissus, in terram cadit? quia terreum elementum in eo prædominatur: hæc est causa materialis. quare Luna recipit incrementum luminis per partes? quia est globosa: hæc est causa formalis. quare æ-

grotus ſumit pharmacum? vt ſanetur: hæc eſt cauſa finalis.

5. Quinta quæſtio eſt de quantitate vel continua; veluti quantus eſt Sol? tricesſies & ampliùs maior, quàm terra: vel diſcreta, veluti, quot ſunt planetæ? Septem.

6. Sexta quæſtio eſt de qualitate vel interna, veluti, qualis eſt Socrates? Doctiſſimus philoſophus: vel externa; veluti, qualis eſt Æthiops? Niger.

7. Septima quęſtio eſt de tempore: veluti, quando fuit creatus mundus? in principio temporis. quando fit eclipſis Lunæ? quando Luna eſt in capite Draconis, & Sol in cauda, vel è contrario Luna in cauda & Sol in capite. quando ſunt multæ muſcę? menſe Auguſto. quando erimus beati? poſt mortem.

8. Octaua quęſtio eſt de loco. ſed locum latiſſimè accipere oportet, vt

fere

idem ſit eſſe in loco, quod eſſe in aliquo: veluti, vbi eſt terra? in centro mundi. vbi eſt pars? in toto. vbi eſt accidens? in ſubiecto. vbi eſt forma? in materia. ubi eſt vinum? in dolio. vbi geſtum eſt bellum Troianũ? in Aſia.

9. Nona & vltima quæſtio eſt, quomodò aliquid ſit, aut fiat: veluti, quomodò patitur intellectus à ſpeciebus intelligibilibus? perfectiuè, q̃a per eas perficitur: & quò magis intelligibiles ſpecies ſunt, eò magis perficiunt intellectum, ita vt intellectus eò faciliùs alias res intelligat. quomodò patitur ſenſus à ſpeciebus ſenſibilibus? corruptiuè: quia vehemens obiectum corrumpit ſenſum, adeo vt impedimẽto ſit, quò minùs alias res ſentiamus: veluti ſi quis Solem intueatur, mox minùs poterit alias res cernere.

LIBER II.

Qui est de figuris.

CAP. I.

De figuris.

HVcusque de simplicibus terminis & de quæstionibus: iam de terminorum mixtione seu compositione dicendum.

2. Aut duæ literæ coniunguntur, aut tres: non vlteriùs progredimur, vt quatuor vel quinq; literas coniungamus; quia tres termini sufficiunt ad syllogismum conficiendum: &, si vlterius progrederemur, id non tam vtile, quàm molestũ & laboriosũ esset.

3. Hinc

3. Hinc oriuntur duæ figuræ, in quarum priori duæ literæ coagmentantur.

Cap. II.

De prima figura.

1. Prima figura, in qua bina elementa iunguntur, multas cellulas continet, vt ex ſequenti diagrammate apparebit.

bb								
bc	cc							
bd	cd	dd						
be	ce	de	ee					
bf	cf	df	ef	ff				
bg	cg	dg	eg	fg	gg			
bh	ch	dh	eh	fh	gh	hh		
bi	ci	di	ei	fi	gi	hi	ii	
bk	ck	dk	ek	fk	gk	hk	ik	kk

2. Hæc figura conſtat nouem columnis; quia nouem ſunt literæ no-

ſtri alphabeti, & quælibet litera habet ſuam columnam, vt litera B columnam primam, C ſecundam, & ita deinceps.

3. In prima columna ſunt nouem cellulæ; quia litera B cõiungitur cum ſemetipſa & cum octo ſequentibus. Simili ratione in ſecunda columna ſunt octo cellulæ; quia litera C cum ſemetipſa connectitur, & cum ſeptem ſequentibus. Sic in tertia columna ſunt ſeptem cellulæ. In quarta ſex. In quinta quinque. In ſexta quatuor. In ſeptima tres. In octaua duæ. In nona, vna cellula. Nulla enim cellula eſt, in qua litera prior alphabeti ſubiiciatur poſteriori, ne bis eadem literarum coniunctio ponatur: verbi gratiâ, nulla eſt cellula C B in ſecunda columna quia eſſet eadem cum cellula B C primæ columnæ.

4. Quælibet cellula permulta attributa,

tribula, & multas propoſitiones continet. I. Quia quælibet litera ſumitur vel ex prima vel ex ſecunda columna alphabeti. inde oriuntur quatuor modi huius figuræ: nam in quauis cellula, vel accipitur vtraque litera ex prima alphabeti columna; vel prima litera ex prima columna, & ſecunda ex ſecunda; vel è contrario prima litera ex ſecunda columna, & ſecunda litera ex prima columna, ex tertia verò alphabeti columna nihil in præſentia accipimus: quia loquimur de terminorum mixtione: illa autem columna non continet terminos, ſed quæſtiones. II. Quia quælibet litera etiam in eadem columna alphabeti ſignificat multos terminos, vt B ſignificat bonitatem, bonum, bonificans, &cet. vt ſuperiori libro expoſitum fuit. III. Quia in quauis cellula, prima litera vel attribuitur vel ſubiicitur ſecundæ.

exempli cauſa, in cellula B C continentur hæc attributa. Bonitas magna, Bonitas magnitudinis, Magnitudo bona, Magnitudo bonitatis, Differētia concordiæ, Concordia differentię, Concordia differens, Bonitas concordiæ, Conſenſus bonorum, Magnitudo differentiæ, Differentia exigua. Item continentur hæ propoſitiones, Bonitas magnificat, Magnitudo eſt bona, Res differentes in quibuſdam concordant, Concordes interdum diſſentiunt, Viri boni conſentiunt, Concordia eſt bona, Differentia eſt magna, Magnitudo differt.

Cap. III.

De ſecunda figura.

1. Secunda figura ſic deſcribenda eſt,

† * *

Secunda

18

19

2

2. In hac figura ſunt octo columnæ, quę denominantur à primis literis, in qualibet enim cellula primę columnę prima litera eſt B. in ſecunda verò columna prima litera eſt C. & ita deinceps. nulla autem columna eſt, quæ ſumat initium à litera K, propterea quòd omnes modi quibus hęc litera cum aliis coniungi poteſt, in columnis iam poſitis continentur.

3. In prima columna ſunt 44. cellulæ, in ſecũda 35. in tertia 27. in quarta 20. in quinta 14. in ſexta 9. in ſeptima 5. in octaua 2. Itaque omnes cellulæ huius figuræ ſunt 156. minuitur autem ſemper numerus cellularum in ſequentibus columnis ob eandem rationem, ob quam minuebantur in prima figura, id eſt, ne earundem literarum coniunctio ſæpiùs repetatur. verbi gratia, in ſecunda columna non ponitur cellula CBD: quia eſſet ea-

dem cum primæ columnæ cellula BCD.

4. In cellulis huius figuræ interdum eadem litera repetitur, veluti BBC, & BCC. tuncque intelligendum est ideo literam repeti; quia semel sumitur ex prima columna alphabeti, & semel ex secunda columna. nunquàm verò eadem litera ponitur ter in eadem cellula: quia colũnæ principiorum seu terminorum sunt tantùm duæ.

5. Ex qualibet cellula multæ propositiones, & multi syllogismi hauriuntur. I. Quia quælibet litera sumitur vel ex prima, vel ex secunda colũna alphabeti: vnde oriuntur quatuor modi in quauis cellula: aut enim omnes literæ sumuntur ex prima columna alphabeti: aut omnes ex secunda: aut duæ ex prima, & vna ex secunda: aut è contrario vna ex prima, & duæ ex se-

ex ſecunda. Hi duo poſtremi modi ſubdiuiduntur in tres: quia litera illa, quæ ſola ſiue ex prima ſiue ex ſecunda alphabeti columna ſumitur, vel eſt in ea cellula ordine prima, vel ſecunda, vel tertia: Hęc ita obtinent in iis cellulis, quę habent tres diuerſas literas, veluti B C D. Ceterùm vbi vna litera repetitur, vt BBC, duo tantùm ſunt modi: quia litera illa, quæ eſt ſingularis, vt C in dicta cellula BBC, vel ſumitur ex prima columna alphabeti, vel ex ſecunda. In ſumma cùm tres ſunt literę, quælibet accipitur vel ex prima colũna alphabeti, vel ex ſecunda, id eſt, vel ſignificat terminum abſolutum, vel relatum. II. Quia quælibet litera etiam in eadem alphabeti columna ſignificat multos terminos, vt B bonitatem, bonum, bonificans, bonificatum, &c, III. Quia primus terminus ſecundo, & ſecundus tertio, & primus

tertio vel ſubiicitur vel attribuitur. Exempli cauſa, cellula B C D continet has propoſitiones, Bonitas magna durat, Benè ſentientes differũt ab iis qui contra ſentiunt, Cõcordia bonorum eos conſeruat ſeu durare facit. Denique quotcumque modis termini literis ſignificati coniungi poſſunt, tot ſunt propoſitiones.

6. Itidem per hos tres terminos poſſunt fieri varij ſyllogiſmi. veluti ex cellula BCD ſic argui poteſt,

Si magnitudo bonitatis ſit æterna, erit infinita:
Atqui in Deo magnitudo bonitatis eſt æterna:
Ergo eſt infinita.

Item ex cellula BBD,

Quicquid eſt bono contrarium eſt malum:
Atqui diſcordia eſt bono contraria: Ergo eſt mala.

Liber

LIBER III.

Qui est de vsu & vtilitate huius artis.

CAP. I.

De vtilitate alphabeti.

VTilitas alphabeti est multiplex. I. Suppeditat magnam copiam terminorum generalium, tam absolutorum, quàm relatorum, vt lib. 1. cap. 2. exposui. Vnde cuilibet rei propositæ possumus multa attributa adiungere, quæ ad exornandam & amplificandã orationem valent. Vt ex prima colũna, Deus est optimus, maximus, æter-

nus, omnipotens, ſapientiſſimus, mũdum magis diligens quàm ab eo diligatur, virtutibus omnibus modo quodam eminenti & ineffabili præditus, eſt ipſa veritas, in omnia ſecula glorificandus. Deinde ex ſecunda columna, differt ab omnibus aliis rebus, conſtat tribus perſonis inter ſe cõcordibus, contrarius eſt improbis, & omnia mala auerſatur, principiũ eſt & finis rerum omnium, & rebus omnibus ſine comparatione maior, nulli niſi ſibi ipſi æqualis. II. Omnes quęſtiones ſuggerit, quæ de quauis re proponi poſſunt: vnde poſſumus de quacumque re per has quæſtiones diſſerere: veluti de ieiunio, Eſtne ieiunium? manifeſtum eſt ieiunium eſſe, quandoquidem poſſumus abſtinere à cibis, nec ieiunium vmquàm præciperetur, nec in ſacris literis commendaretur, niſi eſſet poſſibile. Quid eſt ieiunium,

vel

vel quid eſt ieiunare? abſtinere aliquamdiu à cibo & potu, vt animus corporeis impedimentis ſolutus, officio ſuo liberiùs fungi poſſit. Vnde eſt ieiunium? ex iure diuino. Cuius eſt? Ieiunium externum eſt cibi & potus: internum verò eſt carnalium operationum. Quare ieiunamus? vt carnis affectus compeſcamus. Quantum eſt ieiunium? aliud breuius, vt cùm Saul Philiſtæos perſequens, ieiunium indixit vſque ad veſperam: aliud prolixius, vt cùm Chriſtus & Moſes ieiunarunt quadraginta dies & quadraginta noctes. Quale eſt? bonum eſt, ſi bene fiat. Quando ieiunandum? publicè, cùm eccleſia præcipit: priuatim autem quiſque ieiunare debet, cùm animaduertit ſe carnis ſtimulis pungi, & ieiunio egere. Vbi ieiunandum? Non in publico, ſed in abdito loco. Quomodò ieiunandum? occultè po-

tiùs quàm palàm, vt Christus præcipit,& abstinendo non solùm à ciborum multitudine, sed etiã à cibis lautioribus,& (quod plus est) à peccatis. III. Hoc alphabetum valet ad memoriam:facilè enim omnes terminos huius alphabeti possumus memoriæ mandare: ex his verò,tanquàm ex locis quibusdam communibus, omnia dicenda in promptu erunt. IV. Est fundamentum primæ & secundæ figura.

CAP. II.

De vtilitate primæ figuræ.

HÆc figura I. Suppeditat multa attributa composita: veluti B C, Magna bonitas, Magnitudo bona, Differentia concors, Concordia differens, Magnitudo differens, Differentia magna, Magnitudo concor-

dans.

dans, Concordia magna. II. Multas propositiones suggerit. quælibet enim cellula continet multas propositiones. exempli causa in cellula. B C insunt hæ propositiones, Bonitas est magna, Bonitas concordat, Magnitudo est bona, Concordia est bona, Magnitudo differt, Differẽtia est magna, & multæ aliæ. Harum propositionum vtilitas magis apparebit, si certis subiectis accommodẽtur: sunt enim maximè generales, & pluribus rebus possunt aptari: veluti, Bonitas Dei est magna, Bonitas hominis est exigua: Bonitas Dei est æterna, quia Deus est æternus & immutabilis, Bonitas hominis non diu durat, quia septies in die cadit iustus. Magnitudo virtutis semper est bona, Magnitudo verò pecuniæ interdum est mala. Concordia bonorum est bona, Cõcordia improborum est mala. III. Valet ad copiã,

vt poſſimus de quacumque re proli-
xam & doctam orationem habere. e-
xempli cauſa, de ieiunio ſermo habe-
ri poteſt hunc in modum: Ieiunium
eſt bonum, ſi benè fiat: ſed non eſt res
magna abſtinere à cibis, niſi ſimul ab-
ſtineatur peccatis. Tamdiu ieiunan-
dum eſt, quamdiu naturæ humanæ in
becillitas fert; ne quis ſeipſum interi-
mat, ſi exẽplo Chriſti & Moſis per qua
draginta dies, & quadraginta noctes à
cibo & potu abſtinere velit. Sapientes
viri ieiunare ſoliti ſunt, vt carnis cõcu-
piſcentiam coërceant, & faciliùs vir-
tutibus Chriſtianis vacare poſſint. Ve-
rum igitur ieiunium hoc eſt, non ſi
quis gloriæ cauſa, & vt hominibus ad-
mirationi ſit, ieiunet: tãtùm enim ab-
eſt vt hinc gloriam captare debea-
mus, vt Dominus iubeat eum, qui ie-
iunat, caput ſuum vngere, & faciem
ſuam lauare, ne hominibus ieiunare
videatur

videatur. magna eſt igitur differentia inter ieiunium ſanctorum, & ieiuniũ hypocritarum. Ieiunium homines à beſtiis ſeiungit, quæ impetu quodam ad cibum feruntur, nec ab eo niſi ſa-turatæ abſtinent. Cibis igitur ſaginentur homines carnales, & brutis ſimi-les: nos ſpreto corporali cibo, angelis Dei aſſimilemur, & rerum diuinarum contemplatione vacemus. hoc modo aduerſarios noſtros perpetuos, carnẽ (inquam), mundum, & Satanam fu-gabimus, & de eis victoriam reporta-bimus. neq; enim ſine cauſa Chriſtus ait hoc genus dæmoniorum nõ eiici, niſi ieiunio & oratione. Ieiunij origo antiquiſſima mihi videtur. quid e-nim? cùm Deus primos parentes ex arbore quadam paradiſi veſci vetuit, nónne ieiunium quoddam indixit? ſicut igitur ieiunij illius contemptus primos parentes eiecit ex paradiſo, ita

ieiunij obſeruatio adhoc valebit, vt in ſedes beatorum faciliùs recipiamur, quippe quod eſt in medium quoddã nos cum Deo & angelis coniungens. Finis ieiunij eſt, vt mens à crapulæ impedimẽtis libera, commodiùs officio ſuo fungi, & Deum cõtemplari poſſit. quis igitur ieiunium contemnere audeat, cùm nos vulgaribus hominibus maiores, ſanctis æquales, angelis paulò minores reddat?

CAP. III.

De vtilitate ſecundæ figuræ.

1. SEcunda figura ſuggerit multas propoſitiones compoſitas: veluti BCD, Magna bonitas eſt durabilis, Exigua bonitas non diu durat. CFK, Magnam ſapientiam, magna gloria conſequitur, EFG. Initium ſapientiæ eſt

est timor domini.

2. Præterea hinc habetur magna copia syllogismorum de quouis problemate. exempli causa, mundum nõ esse æternum probatur multis modis: quorum aliquot exempla ex Raymundo, sed dilucidiùs proposita subiiciam. Ex cellula BBC, sic probatur mundum nõ esse æternum. I. Per bonitatem, differentiam, & magnitudinem. Si mundus est æternus, duæ sunt bonitates æternæ, altera Dei, altera mundi: sed hoc est falsum, & impossibile: mundus igitur non est æternus. Consequentia maioris manifesta est. Consequens esse impossibile probatur: quia duæ illæ bonitates per magnitudinem æternam magnificantur in infinitum, & per differentiam differunt, ita vt vna sit mala secundum quid, quod est impossibile, & implicat contradictionem; quia quod est

infinitè bonum, non poteſt eſſe malum ſecundum quid. II. Per bonitatem, differentiam, & concordantiam: Si mundus eſt æternus, differentia bonitatis diuinæ & bonitatis mundi æterna eſt: numquam igitur erit concordãtia: quod eſt abſurdum. Eadem concluſio probari poteſt ex cellula BCD, I. Per bonitatem, magnitudinem & durationem: Si mundus eſſet æternus, bonitas eius eſſet ratio, propter quam ab æterno produceret bonum æternum, & magnitudo illam bonitatem ab æterno & in æternum magnificaret, & æternitas illam ab æterno durare faceret: proinde nullum eſſet malum: quod eſt contra experientiam. II. Per bonitatem, magnitudinem, & contrarietatem. Si mundus eſt æternus, eſt bona & magna contrarietas æterna inter ſubſtantiale & ſubſtantiale, inter accidentale & acciden-

accidentale, inter substantiale & accidentale: quod est impossibile; quia contrarij fines non possunt esse boni cum magnitudine æterna. III. Per bonitatem, durationem, & concordiam: Si mundus est æternus, æternitas Dei & æternitas mundi bene concordant: quod est impossibile: quia æternitas mundi, non minùs malitiam, quàm bonitatem continet, in Deo autem est sola bonitas. IV. Per bonitatem concordiam & contrarietatem: Si mundus est æternus, eius bonitas est æterna cum æterna concordia & æterna contrarietate: quod est impossibile. V. Per differentiam, concordantiam, & contrarietatem. Si mundus est æternus, eius differentiæ, concordantiæ, & contrarietates sunt æternæ: & per concordantiam Deus est causa mundi: & per differentiam & contrarietatem non est causa mundi:

quod eſt contradictio, & impoſſibile. Similiter per differentiam & concordantiam, mundus conſtat ex partibus primitiuis ad aliquem finem ęternum ordinatis, & per differentiam & contrarietatem non conſtat ex eiuſmodi partibus. VI. Per magnitudinem, durationem, & differentiam: Si mundus eſt æternus, magna eſt differentia Dei. & ratio huius differentiæ eſt eſſentia ipſius, quæ ponit æternitatem diſtinctam inter ſenſibile & intelligibile: quod eſt impoſſibile: quia ſenſibilia ſunt ortui & interitui obnoxia. Raymundus addit ſeptimum argumentũ à magnitudine, differentia, & contrarietate. Et octauum argumentum à duratione, differentia, & concordantia: quæ propter nimiam obſcuritatẽ prætermittenda eſſe duxi.

3. Notandum eſt, Raymundi ſententiam eſſe, vt de quouis problemate

ex

ex qualibet cellula huius figuræ depromantur multa argumenta, id est, ex iis cellulis, in quibus vna litera repetitur, ſumantur duo argumenta: ex iis verò, quæ continent tres literas diſtinctas, accipiantur octo argumenta; quia tot modis literarum acceptio poteſt variari, vt ſuprà docui, ſed quia hoc non ſemper fieri commodè poteſt: mihi magis placet, vt cellulæ percurrantur, & inde ea ſola argumenta ſumantur, quæ commodè ſumi poſſunt: idcirco in ſuperiori axiomate duo Lulliana argumenta prætermiſi.

4. Rurſus notandum eſt, Raymundum ex hac ſecunda figura ſumere omnes terminos pro mediis ſyllogiſmorum; quia termini extremi continentur in ipſo problemate. vt in problemate, vtrùm mundus ſit æternus, minus extremum eſt mundus: maius extremum eſt æternus: quærendum

igitur est medium, quo probetur mũdum esse, vel non esse æternum. Hoc medium coniunctum ex tribus terminis suggerit figura secunda. Ceterũ si quis duobus tantùm terminis vti velit, primam figuram adhibere debet. Sin autem vno termino concludere velit, confugere debet ad alphabetum, vt apertiùs sequenti capite enarrabo.

Cap. IV.

De vtilitate totius artis.

1. IN summa hæc ars ad tria vtilis est. I. Ad sermonem de quacumque re instituendum, & orationem amplificandam. II. Ad quæstiones inueniendas. III. Ad quæstiones dissoluendas, id est ad conclusiones probandas.

2. Sermonis instituendi, & orationis

nis amplificandæ gratia obſeruentur hæc præcepta. I. Adhibeatur prima & ſecunda columna alphabeti: præſertim prima, quæ continet terminos abſolutos, vt ſup. lib. 2. c. 1. ax. 1. ex alphabeto dicebamus, (exempli cauſa) Deũ eſſe optimum, maximum, &c. II. Cõmodius mihi videtur adhibere ſecundam columnam, non ſeparatam & per ſe, ſed ita vt cellulæ ſecundæ columnæ aptentur cellulis primæ columnæ. verbi gratia, cùm agis de bonitate Dei, non tantùm dicas Deum eſſe bonum, ſed etiam explica differétiam bonitatis diuinæ, ab aliarum rerum bonitate: itidémque conſidera concordantiam, contrarietatem, maioritatem, & cet. Vtputà, bonitas Dei longè differt, & infinities maior eſt, quàm aliarum rerum bonitates. immò quicquid præter Deum vocatur bonum, ſi cum Deo conferatur, ma-

lum dici debet. etenim Deus non solùm est auctor & fons omnium bonorum, sed etiam est ipsa bonitas. III. Recenseantur species & coniugata: veluti, non solùm dicatur, Deus est bonus, sed etiam clemens, misericors, &c. bonitatem suam rebus omnibus impertit, aliis magis, aliis minùs: facit enim, vt Sol oriatur super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos. IV. Ex bonorum auctorum lectione colligantur rerum epitheta & attributa, eáque disponantur secundum ordinem alphabeti Lulliani, vt sit promptuarium quoddam & repertorium, & vt singula, quæ aliquando proponentur, auctoritatibus confirmari possint. exempli causa de Deo constituātur tot capita, quot sunt cellulæ in alphabeto: deinde ex sacris literis, & ex aliis auctoritatibus excerpta referantur ad sua capita, vt in ex-

emplo ſequenti.

B Bonitas.

Solus Deus eſt bonus, Matth.19. Mar. 10. Luc.18.

C Magnitudo.

Deus eſt vnus. Deut.6. Malach.2. & 1. ad Cor. 8. & ad Epheſ. 4. & 1. ad Timoth.2. & trinus, Matth. 28. Mar. 26. Deus eſt magnus. 2 Paralip. cap. 2. & Iob.37. Deus eſt magnificus. Exod.15. Deut.32. Deus eſt magnificatus. Exod. 15. & 2. Sam.7.

D Duratio.

Deus eſt æternus: Eſther 40. Deus eſt immutabilis. Num.32.

E Poteſtas.

Deus eſt omnipotens: Exo.6. & 15. & Eſther.13. Deus vitę & mortis poteſtatem habet. Sapient.16.

F Sapientia.

Deus omnia ſcit, & arcana quoque cordis nouit. Eccleſ.29. Pſalmo 43. 93.

138. Iob. 34. Ierem. 23. Esa. 29. Matth. 6. Lucæ. 8. & 1. ad Corinth. 4. Sapientiæ eius non est numerus. Psalm. 146.

G Appetitus.

Deus diligit iustos. Psalm. 141. Diligit eos, à quibus diligitur. Prouerb. 8. Diligit suos. Ioh. 13. Dilexit Iacob, & odio habuit Esau. Mala. 1. & ad Rom. 9.

H Virtus.

Deus est fidelis, iustus, & rectus. Deut. 32. Iob. 3.

I Veritas.

Deus est verax. Exod. 34. Num. 23. veritatem custodit. Psal. 145.

K Gloria.

Deus est laudabilis. Exo. 15. Deus est gloriosus Matth. 6. Lucæ. 2.

Idem obseruandum in secunda columna. vt hæc propositio, Non est similis Deo. Exo. 15. & 2. Sam. 7. & 1. Paralip. 17. referri debet ad B differentiã: hæ verò propositiones, Deus dissipat consilia

consilia gentium, reprobat cogitationes populorum. Psalm. 33. Non est sapientia, non est prudentia, non est cõsilium contra dominum. Prou. 21. referantur ad D, contrarietatem. Hæc autem propositio, Magnus est Deus supra omnes Deos, referatur ad H, maioritatem. Præter hæc, adiungi alia possunt ex tertia columna alphabeti, id est, ex quæstionibus. exempli causa ad quæstionem quid faciat, referantur hæ propositiones, Deus aufert iniquitatem, & scelera, & peccata. Exod. 34. Item, fecit cælum, & terram, & cetera omnia. Gen. 1. Esther. 13. Item, opus hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis. Iob. 34. Item facit mirabilia. Exod. 15. Item, facit iudicium, illuminat cæcos, &c. Psal. 145. Ad quæstionem verò vbi referantur sequentes propositiones, ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.

Iosſ.2. propè eſt inuocantibus eum. Pſ. 145. cælum & terram implet. Ierem.13. Ad quæſtionem autem quomodò facit, hæc propoſitio reſpicit, ipſe dixit, & omnia facta ſunt. Gen.1. & Pſal. 31.

3. De inueniendis quæſtionibus vnum eſt preceptum, vt obſeruetur ordo quæſtionum, prout in alphabeto Lulliano recenſentur, hoc excepto, quòd quæſtio cuius, quia relationem quandam ſignificat, rectiùs examinabitur poſt quæſtionem quale Nos in arte eam coniunximus cum quæſtione vnde, propter auctoritatem Raymundi, qui vtramque ſignificauit vno verbo de quo. ſed quamuis in arte noluerim Raymundi ordinem mutare; tamen in praxi & vſu artis hæc mutatio neceſſaria eſt.

4. Qui ſyllogiſmum quærit, nihil aliud querit, quàm medium terminum: quoniam in omni ſyllogiſmo ſunt

ſunt tantum tres termini, videlicet duo extremi, qui in problemate & concluſione continentur, & medius terminus, qui ad concluſionem probandam aſſumitur. quocirca idem eſt quærere medium, quęrere propoſitiones, & quęrere ſyllogiſmum: & qui medium habet, propoſitiones & ſyllogiſmum habet. Medius autem terminus aut eſt ſimplex, aut compoſitus ex duobus vel tribus terminis. Nō addo plures, quàm tres terminos, ne res abeat in infinitum, aut huius artis vſus difficilior reddatur. Simplex terminus accipi debet ex alphabeto: duplex colligendus eſt ex prima figura: triplex accipiendus ex tertia figura. verbi gratia, ſi quęratur an intellectus humanus ſit immortalis, I. Expende terminos alphabeti, & vide, an aliquis ex iis terminis poſſit accipi pro medio ad probādam intellectus immor-

talitatem, ac primùm perpende terminos primę columnę, deinde terminos ſecundę columnę, poſt hos, percurre cellulas primę figurę. tandem examina cellulas ſecundę figurę, hac ratione inuenies permulta argumenta, quibus probabis animi immortalitatem. Subiiciam aliquot exempla, quò res illuſtrior euadat. Primò ex prima columna alphabeti, per cellulã D, id eſt, per durationem, probatur intellectum eſſe immortalem, quia interempto corpore remanet. Et per cellulam E, id eſt, poteſtatem; quia poteſt operari ſine corpore; conſequenter perempto corpore conſiſtit. Hoc argumentum eſt Ariſtotelis lib. 1. & lib. 3. de anima. Et per cellulam F, id eſt, ſapientiam; quia in ſeipſum reflectitur, & ſeipſum cognoſcit. II. Ex ſecunda columna per cellulam B, id eſt, differentiam; quia differt ab animabus

mabus brutorum, quæ ſunt mortales. Et per cellulam E, id eſt, principium; quia intellectus humanus eſt principium ſui motus, & à ſeipſo mouetur. hoc argumentum eſt Platonis, & M. Tullij, qui ex Platone deſumpſit. Et per cellulam H, id eſt, maioritatem; quia maior eſt ſubſtantia intellectus, quàm animarum irrationalium. III. Ex prima figura, vt per cellulam D F, id eſt, durationem & ſapientiam; quia intellectus cognoſcit res æternas. Et per cellulam D G, id eſt, durationem & appetitum; quia ſua natura appetit immortalitatem: naturalis autem appetitus non poteſt eſſe inanis, cùm natura nihil fruſtrà faciat. IV. Ex ſecunda figura per cellulam C D F, id eſt, magnitudinem, durationem, & cognitionem: quia intellectus tamdiu durat, quamdiu cognoſcit: atqui ſemper cognoſcit, etiam ſine corpore;

quia non vtitur corporeo organo, vt Ariſtot. docet in libris de anima: ſemper igitur durat, etiam ſine corpore. Et per cellulam E F G, id eſt principium, medium, & finem ſuæ cognitionis, quandoquidem non vtitur corpore. Poſſem multa alia argumēta proferre; ſed hæc exempli cauſa retuliſſe ſufficiat.

5. Ex dictis duo colligi poſſunt. I. Totum vſum artis conſiſtere in terminis, & quæſtionibus alphabeti. Primam autem & ſecundam figuram ideo tātùm adhiberi, vt poſſit aliquis, ſi velit, ordine expendere omnes modos, quibus duo vel tres termini alphabeti coniungi poſſunt. Verbi gratiâ, cùm quæris, an intellectus ſit immortalis, percurre primò terminos ſingulos per ſe. poſteà duos cōiunge, deinde tres. Sed ſi vis nullum duos vel tres terminos coniungendi modum præter-

mittere, eos expende ſecundum ordinem cellularum, quę ſunt in prima vel ſecunda figura. II. Quia Raymundus primo circulo complectitur terminos primæ columnæ alphabeti, id eſt, terminos abſolutos: idcirco eum hāc figuram vocare A, & in centro ipſius circuli ſcribere literam A. vt igitur hanc literam in hunc vſum reſeruaret, in literis columnarum alphabeti ſumpſit initium à litera B, vt notaui lib. 1. cap. 2. §. 4.

LIBER IV.

Qui est de ratione emendationum.

ARtis Lullianæ veris præceptis breuiter traditis, eiúsque vsu dilucidè demonstrato, superest vt ea proponam, quæ in Lullij scriptis animaduersione & correctione digna iudicaui, ne videar temerè quædam innouasse, & Lullij auctoritatem contempsisse.

1. Notæ in primam artis Lullianæ partem, quæ est de alphabeto.

ALphabetum nouem literas, & earum significationes continet: quæli-

quęlibet autem litera Lullio ſex ſignificat: nos verò tres quidem priores ſignificationes, quæ ſunt generales, retinuimus: ſed tres poſteriores, vt potè ab hac arte alienas, deleuimus. nam quarta eſt phyſica, & metaphyſica: quinta & ſexta ſunt ethicæ.

Præterea apud Lullium non apparet, cur diuerſæ ſignificationes ad vnã & eandem literam referantur. id verò apparet in noſtro diagrammate in columnas diſtincto. nam in prima columna ſunt principia abſoluta, in ſecunda ſunt principia relata, in tertia ſunt quęſtiones: & in qualibet columna, prima litera ſignificat primũ principium, ſeu primam quæſtionem, ſecunda, ſecundum, & ita deinceps. Noſtrum igitur alphabetum Lulliano eſt longè clarius, & commodius.

Ad hæc, Lullius hoc loco terminos ſimpliciter proponit, & poſteriùs

multis interiectis explicat. nos verò terminos propositos statim enarramus, ne diu lector ignoret ea, in quibus versatur. Sic pauciores, & magis perspicuæ fiunt partes huius artis.

II. In secundam partem, quæ est de figuris.

PRima figura apud Lullium, qui alphabetum confusè proposuit, fortasse necessaria fuit, vt ostenderet principia absoluta sibi inuicem attribui, vt, *bonitas est magna, magnitudo est bona:* sed nobis, qui alphabetũ in diagramma retulimus, & in columnas digessimus, omnino superfluit. quis enim tradente artis doctore non intelligit hæc sibi inuicem attribui, quamuis in orbem non describantur, nec ductis lineis inter se nectantur?

Similiter secunda figura superuacua est. quia continetur in secunda co-

lumina alphabeti, qua est longè obscurior. cùm enim hîc sint nouem principia in tres classes diuisa, ita vt tria principia in qualibet classe ponantur: hæ classes naturali ordine in dicta columna proponuntur: & primò differentia, concordantia, contrarietas: deinde principium, medium, finis: postremò maioritas, æqualitas, minoritas. in orbiculari autem figura Lulliana hæc miscentur & perturbantur: ideóque à Lullio tres trianguli adhibentur, & inter se connectuntur.

In tertia figura nihil muto, sed eam facio primam, reiectis prima & secũda, tanquàm figuris superfluis, & inutilibus, artémque augentibus & obscurantibus.

Quarta Lullij figura tribus circulis constat, quorum duo sunt mobiles, vt his circumuolutis inueniãtur omnes modi, quibus tres termini inter se cõ-

nectuntur, quot autem ſunt modi, tot ſunt cellulæ. Quare longè vtilior & clarior eſt doctrina, ſi cellulæ proponantur, vt nos in ſecunda noſtra figura obſeruauimus, quàm ſi cum Lullio circuli gyrentur: quemadmodum vtilius & commodius eſt habere panes, quàm triticum & piſtrinum ad farinam eliciendam, & panes conficiendos.

III. In tertiam partem quæ eſt de definitionibus.

IN hac parte Lullius definit principia abſoluta, quæ poſita ſunt in prima alphabeti columna. hæ definitiones à nobis commodiùs traduntur in prima parte, id eſt, in expoſitione primæ columnæ.

IV. In quartam partem quæ eſt de regulis.

Regu-

REgularum appellatione Raymũdus ſignificat quæſtiones poſitas in tertia alphabeti columna: quas quidem ibi recenſuit, hîc declarat. nos eodem loco propoſuimus, & explicauimus, vt artem breuiorem & dilucidiorem redderemus.

V. In quintam partem, quæ eſt de tabula.

HÆc tabula imperfecta eſt, & longè prolixior proponitur in arte magna. nec differt à noſtra figura ſecunda in qua ſimul breuitati & perfectioni ſtuduimus, & omnes terminorum connectiones ad paucas cellulas redegimus.

VI. In ſextam partem de euacuatione tertiæ figuræ.

IN hac parte auctor nihil noui docet, ſed ea repetit, quæ antea de ter-

tia figura docuit: obſcuritatis autem cauſa nouam loquendi rationem adhibet, euacuationem tertiæ figurę vocans, cùm illius figuræ termini ſibi inuicem attribuuntur & ſubiiciuntur, ita vt variæ enunciationes cõficiantur.

VII. In ſeptimam partem de multiplicatione quartæ figuræ.

QVemadmodum contra artem & methodi præcepta, tertiam figuram in ſecunda parte propoſuit, & eius euacuationem in ſexta parte tradidit, ita quartam figuram in ſecunda parte propoſuit, & eius multiplicationem in ſeptima parte declarat. Multiplicatio autem quartæ figuræ, nihil aliud eſt Raymundo, quàm ratio colligendæ tabulæ ex quarta figura, id eſt, ex circumuolutione circulorũ quartæ figuræ. quapropter quarta figura, tabula,

tabula,& multiplicatio quartæ figuræ vnam doctrinam continent, nimirum coniunctionem trium terminorum à nobis in secunda nostra figura propositam.

VIII. In octauam partem de mixtione principiorum & regularum.

MIra est huius auctoris tautologia, nam mixtio principiorum & regularum continetur in tertiæ figurę euacuatione, de qua actum est in sexta parte. Denique euacuare tertiam figuram, haurire propositiones ex tertia figura, miscere literas tertiæ figurę, quibus & principia & regulæ continentur, diuersis verbis eandem rem significant. Intellige principia absoluta, quæ sunt in prima columna nostri alphabeti; & relata, quæ sunt in secunda columna eiusdem alphabeti; & quæstiones, quæ in tertiam alphabeti

columnam sunt coniectæ.

IX. *In nonam partem de nouem subiectis.*

HÆc pars partim est physica, partim metaphysica, & quędam etiã sumit ex ethicis. Quocirca nõ est pars artis, sed vsus, quatenus hæc ars rebus metaphyscicis, aut physicis, vel ethicis aptatur. ac simili ratione potest aliis scientiis atq; artibus accommodari. vt igitur Alpharabius ab Auerroë reprehenditur; quoniam organo logico adiunxit logicam physici, medici, &c. ita etiam est reprehendendus Lullius, qui in hac generali arte descendit ad ea, quæ physici, metaphysici, & ethici propria sunt.

X. *In decimam partem de applicatione.*

TRia applicationum genera tradit auctor. I. Implicitum applicatur expli-

explicito, vt hæc quæstio an sint angeli, applicatur (exempli causa) ad bonitatem, & quæritur, an bonum sit esse angelos. II. Abstractum applicatur concreto, vt bonitas bono, magnitudo magno. III. Applicantur quęstiones ad loca huius artis: vt quia alię respiciunt primam figuram, aliæ secundam figuram, aliæ tabulam, &c.

Tota hæc applicationum doctrina est inanis. Prima applicatio nihil aliud est, quàm inuentio medij termini, per quem probetur conclusio. vt putà cõcludimus esse angelos, quia bonũ est eos esse, vt inseruiãt ecclesię, & electis. sufficiunt igitur, quæ de inueniendis syllogismis docuimus. nec pati debemus, vt Lullius nobis imponat, nouis vocabulis non nouam doctrinã proponens.

Secunda applicatio sufficienter exposita fuit, dum egimus de prima co-

lumna alphabeti. docuimus enim ſingulas literas ſignificare principia tam in abſtracto, quam in concreto; vt B, bonitatem, & bonum: & vtendum eſſe vocabulo abſtracto, vel concreto, prout res exigit.

Tertia applicatio nihil aliud eſt quã expoſitio partium huius artis: ergo nõ conſtituit partem per ſe, ab illis diuerſam & ſeparatam.

Addit hoc loco centum formas, id eſt, cẽtum definitiones rerum partim logicarum, vt generis & ſpeciei; partim phyſicarum, vt motus, & loci; partim metaphyſicarum, vt entis, & ideę: partim theologicarum, vt orationis, & prædicationis, partim mathematicarum, vt trianguli, & circuli; partim ethicarum, vt honoris; partim diuerſarum artium, vt mercaturæ, & nauigationis. Hæc omnia ſunt ab hac arte aliena, & ad ſuas facultates redigenda.

XI. In

XI. *In vndecimam partem de quæstionibus.*

HÆc pars non differt à tertia applicatione. Sæpius enim hic auctor eadem diuersis verbis & diuersis locutionibus docet quasi diuersa.

XII. *In duodecimam partem de habituatione.*

HAbituationem vocat, cùm quis perfectè hanc artem didicit, adeo vt non sit leui quadam notitia affectus, sed habitum contraxerit, vt Peripatetici loquuntur. Ad hanc habituationem tria requirit. I. vt aliquis omnes partes huius àrtis intelligat, & quamlibet quæstionem ad eam partem referre & applicare possit, ad quã spectat. II. vt ad exemplum quæstionum ab auctore definitarum possit alias quæstiones peregrinas, id est, à

Lullio

Lullio prætermiſſas tractare ac diſſoluere. III. Vt poſſit quæſtiones & ſolutiones ad eandem concuſionem multiplicare.

Sed in primis ridiculum eſt habituationem proponere tanquàm partem artis. etenim eadem eſt ars, cuius habet aliquis leuem vel perfectam notitiam, ita vt vel ſit leuiter affectus, vel habitum contraxerit.

Præterea primum requiſitum nihil continet præter repetitionem tertiæ applicationis, de qua in decima parte dictum fuit. Quod ad ſecũdum requiſitum attinet, artis præcepta generalia ſunt, quæ tam exemplis à Lullio tractatis, quàm aliis ſimilibus aptari debent. atque hoc eſt omnibus artibus commune.

Tertium requiſitum, vt multiplicentur quęſtiones & ſolutiones, vſum artis reſpicit, quẽ ſuperiori li. expoſui.

XIII. In decimam tertiam partem de modo docendi hanc artem.

MOdus artem docendi non est pars artis. Hunc autem modum facilè nouit, qui artẽ perfectè intelligit. vt enim ait philosophus 1. metaphys. signum sciẽtis est, posse docere. *Quodq; paruum nouit, nemo docere potest,* vt inquit Ouidius. In hac parte dat auctor quatuor puerilia pręcepta, nõ huius artis propria, sed aliis quoq; communia. I. Studiosus memoriter teneat partes artis. II. Magister explicet suis auditoribus contextũ, & rationes auctoritatibꝰ pręferat. Auditores quoq; contextũ perlegant, & si de aliqua re dubitent, magistrũ consulant. III. Magister corã scholaribꝰ quęstiones proponat, & recta ratione soluat. IV. Magister scholares exerceat, proponens quæstiones quas dissoluant, & ab eis exigent rationum multiplicationis.

FINIS.